



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jus Canonicum Practice Explicatum, Seu Decisiones Casuum**

Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos, & ad consuetum  
Referendi modum accommodatæ. Opus Novum

Complectens alteram Decretalium medietatem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, à Titulo XX. libri III. de Feudis usque ad finem

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1734**

Quæstio. An Eugenius iste fuerit filius legitimus?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62204)

## SPECIES FACTI.

**A**Nte sat multos jam annos quædam mulier, postquam triennio perstiterat in conjugio, virum tanquam frigidum seu impotentem ad usum Matrimonij ad Curiam Ecclesiasticam detulit, atque declarata Matrimonij nullitate separationem petijt, eamque causâ diligenter discussâ per sententiam obtinuit factâ sibi licentiâ alteri viro nubendi. Vir appellavit quidem ab hac sententia, negans, se esse frigidum, & in mulierem conjecit omnem culpam dicens, eam nunquam sibi paruisse, & cognosci permisisse. Dum pendebat appellatio, mulier aliud contraxit Matrimonium, & ex novo viro concepit peperitque prolem masculam, Eugenium dictam. Post

10. annos vir primus repudiatu  
fatis concessit, intra quod totum  
tempus appllationem prosequi ne  
glexit, ac demum & vir secundus  
instituto hærede Eugenio mortuus  
est. Paulò post à consanguineis  
secundi viri lis mota est, qui institu  
tionem hæredis Eugenio impugnare  
cœperunt, eò quòd per errorem, quo  
suus consanguineus eum credebatur  
esse legitimum filiù, ac totius hære  
ditatis paternæ capacem, invalide  
institutus esset. Ventilata igitur  
fuit, ac Judicialiter  
decisa

—SSO—

## QUÆSTIO.

*An Eugenius iste fuerit filius legi  
timus?*

**A**Criter contendebant consanguinei actores, eum esse illegitimum, & hæc argumenta pro-

ferebant. 1. Matrimonium secundum fuit nullum, eò quòd nondum constiterit moraliter certo, pri-

primum non tenuisse. *c. 1. & 3. de Sponsal.* quia interposita est appellatio à sententia, cujus proin vis fuit suspensa vel extincta. *l. 1. §. 14. ad s. C. Turpill.* nullumque interim produxit effectum, 2. Hæc mulier contrahendo cum secundo, & consummando hoc Matrimonium commisit adulterium; ergo etiam mortuò primò virò non potuit remanere cum secundo, cum quo adulterium commisit. *c. 5. de eo, qui duxit.* Efficacius 3. Lite pendente nihil est innovandum, & quidquid attentatur circa rem litigiosam, si alienetur &c. id irritum est, & retractandum. *vabr. & t. 1. Ut lite pendente.* sed interposita post sententiam appellatione lis pendere perrexit, & mulier facta est & mansit quasi litigiosa, & hinc alienare in alium virum se non potuit. *Auth. nunc si litteris. C. de litigios. c. ex litteris de Jure patron. c. cum M. Ferrariensis & ibi Inno. de Constit.* Accedit 4. quòd à sententia meritò, & non temere fuerit appellatum; cum enim mulier toto triennio, quo stetit in Matrimonio cum primo viro, non reclamaverit, ad reclamandum & ad agendum, ut Matrimonium dissolvatur ob frigiditatem viri, non amplius audiri debuerat. *c. 1. de frigid. & males. præsertim cum vir contrarium asseveraverit, cui potius tanquam capiti, quam mulieri, credendum fuisset, & quia is stetit pro Matrimonio, pro quo Jura stari potius volunt quam*

*contra. c. continebatur. de Sponsal. Denique 5. Sententia in Matrimonijs nunquam transit in rem judicatam, sed semper retractari potest. per c. tenor. c. consanguinei. de sent. & re jud. cum sententiæ, forsan erroneæ, observatio nutriat peccatum. arg. e. fin. de consuet. & c. fin. de Præscript. ergo nunquam obtinuit completas vires.*

Sed contrarium non immeritò fuit consultum & decisum, nempe Eugenium fuisse, & haberi debuisse pro filio legitime nato viri secundi, adeoque hæreditatis capacem fuisse. Fundamentum fuit præcipue duplex. 1. quia Matrimonium secundum fuit validum, saltem ex præsumptione Juris, quæ stat pro sententia Judicis. *l. Herennius §. Caia. ff. de Evict.* etiamsi per appellationem fuerit suspensa, quousque nimirum fuerit per aliam sententiam prævijs legitimis probationibus rescissa & reformata. *l. suspensa. §. 1. ff. de inoffic. testam. Clem. un. de sequestrat. c. in præsentia. de Renunt. Innoc. in. c. tenor. cit.* sed proles ex valido Matrimonio nata juxta omnes, & ipsa Jura notoria, est legitima: ergo. Dein, etsi initio (quod tamen negatur) non fuisset validum Matrimonium, valere tamen cœpisset mortuò primò virò, quia tunc cessavit impedimentum. *c. 2. de conjug. servor.* ambo enim censentur continuasse & saltem Matrimoniali usu satis manifestasse suum consensum;

nec opus fuit denuo coram Parocho & testibus illum instaurare, uti docet verior & communior, postquam semel fuit coram parocho & testibus contractum Matrimonium: qua stante doctrina nec admittenda videtur probatio in contrarium, per *c. is, qui, de Sponsal.* ergo nec contra legitimitatem Eugenij locum invenit probatio in contrarium. 2. Posito etiam, quod nec initio, nec ex postfacto secundum Matrimonium fuisset verè validum, tamen innegabile est, saltem fuisse apparenter validum, tum propter præsumptionem Juris pro sententia stantem, tum propter ignorantiam & bonam fidem saltem præsumptam (donec contrarium, quod fieri nequit, probetur) viri secundi, ut ut forsan mulier viri potentia non ignara malitiose reclamasset, & sententiam per dolum obtinuisset: sed proles ex Matrimonio apparenter saltem & puritatè valido prognata, item ubi in una saltem parte & conjugè fuit bona fides ob ignorantiam impedimenti, certò est legitima. Textus & DD. in *c. 2. & c. 14. b. t. gl. in c. 1. de eo, qui duxit. l. 11. Cod. de Naturali, lib. 1. qui contra. C. de incest. nupt. ergo.*

Machinationes Consanguineorum legitimitatem impugnantium haud difficulter fuerunt declinatae. Ad 1. negando assertum, quia Matrimonium præsumptivè fuit validum, & sententia produxit effe-

ctum præsumptionis Juris, qua standum est, etiam in casu appellationis, præsertim non introductæ, donec evidenter vel concludenter probetur contrarium, ac tamdiu pro veritate habetur. *c. fin. de restit. spoliat. in. 6. l. 25. ff. de Probat. Ad 2. N. Antes,* quia Matrimonium cum secundo contraxit cum autoritate Ecclesie prius Matrimonium declarantis irritum: ergo contrahentes præsumuntur bona fide contraxisse & consummâsse, *l. generaliter. ff. 1. justè possidet. 11. ff. de acquir. possess. sed habentes bonam fidem, vel ignorantes, non committunt adulterium, quod ipsis imputetur ad poenam. can. in lectum. caus. 34. q. 2. minus proli innocenti, cui specialiter favent & cautum volunt Jura. c. 2. 14. & l. 11. cit. & l. 7. ff. de statu ham. Ad 3. litis, vel appellationis pendentia non impedit novum contrahi Matrimonium, si prius fuit nullum, uti hîc fuit nullum auctoritate Judicis declaratum. textus apert. in *c. cum in Apostolica 18. de Sponsal. & c. 2. de Matrim. contractis contra interd. Eccl.* Jura in contrarium allegata procedunt de lite pendente, ac in prima instantia, ubi contrahens nullam adhuc habet sententiam pro se, & sic nullum colorem contrahendi, non autem, saltem in causa Matrimoniali propter dictos textus, quando contrahens jam habet sententiam pro se, ut in nostro casu. Ad 4. postquam cau-*

sa primi Matrimonij fuit deducta ad  
Judicem, ab eodem acceptata, dis-  
cussa, & per sententiam decisa, præ-  
sumendum est à Judice omnia esse  
facta, quæ de Jure sunt faciendæ,  
consequenter etiam discussum esse,  
an mulier adhuc fuerit audienda  
reclamante etiam viro, & an attule-  
rit sufficientes probationes impo-  
tentia viri: siue igitur merito & ju-  
ste appellaverit, siue non, rectè  
habatur sententia pronuntiatæ ob  
presumptionem Juris, quamdiu vir  
appellans non probasset, malè pro-  
nuntiatum esse, quod nunquam fe-  
cit, imò appellationem deseruit, uti-  
que desperans de probatione liqui-  
da, qualis esse debet contra senten-  
tiam prolatam. Allegatum *c. 1. de  
frigid.* ritè debet intelligi, quia extant  
textus apparenter contrarii, uti *c. 6.  
eod.* ubi conceditur audientia etiam  
post annos multos. & *c. fin. eod.* ubi  
post 8. annos. Sensus *c. 1. cit.* juxta  
melioris notæ DD. Sanch. *l. 7. de Matr.  
d. 109. n. 14.* Gutierrez, Palao,  
Barb. *in c. 1. cit. n. 1.* est, quòd mu-  
lieri reclamanti propter signa impo-  
tentia dubia deferendum sit, si sta-  
tim, nempe post unum vel alterum  
mensem ab attentata copula recla-  
met, uti &, si reclamet propter signa  
certa: si verò sint signa dubia, non

audienda sit ante triennium, quod à  
Jure conceditur ad probandum, an  
detur impotentia vel noa: post  
triennium verò statim & semper  
audienda est, etiam contradicente  
viro. *c. 6. & c. fin. cit.* Et hoc mo-  
do conciliantur Jura. Ad 5. *dist.*  
*Antec.* nunquam transit in rem ju-  
dicatam, h. e. semper & quocunque  
tempore admittenda est probatio in  
contrarium, & allata probatione  
concludenti sententia reformanda  
vel pro vel contra Matrimonium.  
*C. Antec.* non transit in rem judica-  
tam, vel non fingitur transisse, ita ut  
secundum sententiam Matrimo-  
nium non debeat haberi pro valido  
aut invalido, & interim, donec im-  
pugnata fuerit, & malè pronuntia-  
tum esse per legitimas probationes  
constiterit, sententia non sit obser-  
vanda. *N. Ant.* propter textum in  
*c. fraternitatis 6. de frigidis,* & concor-  
dantes; si enim non liceret senten-  
tiam interea observare, ea in causa  
Matrimoniali nunquam habere pos-  
set executionem, & sic Judicium  
foret in ludibrio & sine effectu, quod  
utique dicendum & admitteren-  
dum non est.

